

Ad 3^{um}. R. cum S. Thoma cit. D. Mulier ea dicitur polluta et abominabilis ob contractam culpam, cum nuberet viro secundo *N.* ob contractam immunditiam, ac irregularitatem legalem *C.* Hæc autem sine culpa contrahi poterat. Sic etiam immundus habebatur, qui mortuum, vel leprosum tangeret. Dici etiam potest, polluta et abominabilem vocari relate ad priorem virum, ita ut non posset amplius ab eo duci in uxorem, sique id fieret, futuram abominationem coram Domino. Fundamentum hujus hebraeus et græcus textus suppediat, ita habens: *quoniam hoc*, redire ad virum primum, *est abominatio coram Domino*: quippe si repudiata redire potuisset ad virum primum, mulier quasi ad tempus alteri viro commodata videri potuisset. Item sic repudiis via amplior et facilior patuisset; ac libellus repudii, hebreo populo ob hujus tantum infirmitatem concessus a Deo, fuisse instar lenocinii.

Ad 4^{um}. R. cum Bellarm. N. Ant. Sed hic argumentum fit a minori ad majus; ita enim Propheta Dei nomine arguit: si mulier repudiata a viro suo redire ad ipsum non possit, quanto magis posset Deus non recipere populum, qui abiit post fornicationes suas, h. e. idolatriam aliave vitia; ea tamen ipsius clementia est, ut, si reverti velit, ipsum benigne recepturus sit.

390. *Quæres*: An durante lege veteri repudium licuerit etiam gentibus cæteris? Apud has in usu fuisse constat ex gentilium scriptoribus; nam de Cretensibus id memoriae prodidit Aristot. L. 2. Ethic. c. 8. De Atheniensibus Alexander Genial. dier. L. 4. c. 8. De Romanis Plutarchus Problematis. c. 13. et patet ex Rubrica et textibus ff. h. t. ubi etiam forma præscribitur: quin apud nos etiam mulier repudiare poterat virum: unde *Martialis*: *Mense novo Jani veterem Proculeia maritum deseris, atque jubes res sibi habere suas*; quæ ultima verba formulam important: *res tuas tibi habeto*; vel: *agito*, etc. Licitum vero fuisse aliis gentibus negant Sotus et alii, quod de hac dispensatione divina quoad gentes nihil expressum extet in sacris litteris. Verum etiam de dispensatione divina cum gentibus quoad pluralitatem uxorum nihil expressum legitur in utriusque Testamenti tabulis; et tamen dispensationem, vel rectius concessionem divinam ad gentes quoque extensam fuisse eruitur ex Aug. L. 22. cont. Faustum. Docet Bellarm. L. 1. de Matrim. c. 11., Valent. aliisque plurimi: unde *affirmativa* sententia æque probabilis est.

ARTICULUS III.

AN MATRIMONIUM FIDELIUM CONSUMMATUS POSSIT DISSOLVI QUOD VINCLUM?

391. *Nota I.* Matrimonium fideliū tametsi consummatum solvi posse etiam quoad vinculum quinque de causis Lutherus censuit Lib. in c. 7. primea ad Cor. 1^o. Ex causa adulterii unius conjugum. 2^o. Si fictus christianus deserit christianam conjugem. 3^o. Si conjux conjugem pertrahat ad peccatum. 4^o. Si ob frequentes rixas cohabitatio alterutri accidat molesta. 5^o. Si diu absit alter conjugum. Calvinus contra Lib. 14. Instit. c. 19. ex solius adulterii causa dissolvi matrimonii vinculum posse contendit, tametsi

consummatum fuerit. Atque etiam hac ætate nostra Græcos dissolvere matrimonium, cui adulterium supervenerit, notum est, eamque praxin inter eos viguisse tempore Tridentinæ Synodi habetur ex Pallavicino Lib. 22. Hist. Conc. Trid. c. 4. scribente de canone septimo sessionis 25. Item tempore Florentinæ ita receptum fuisse Græcis, ex eadem Synodo perspicuum fit; etenim Sess. 25. postquam edita fuisse confessio fidei, ita Græcus quidam loquitur: *post haec Latini quasivere a nobis: quare conjugia dirimitis*, etc. Imo huic errori inhæsisse seculo XIII. fidem facit Guido Carmelita, qui circa initium seculi XIV. floruit.

392. *Nota II.* E Catholicis tres, Cajetanus, Catharinus, Launois circa matrimoniale vinculum paulo liberius sensisse notantur. Cajetanus quidem Comment. in c. 19. Matth. solvi illud posse judicat ex adulterii causa, *salva tamen semper Ecclesiæ definitione, quæ, ut inquit, non appareat*. Verum, quod ad excusandum, vel refellendum Cajetanum sufficit, videtur, cum hoc scriberet, vel non ponderasse, vel oblitus fuisse illius, quod Florentina Synodus anno 1439. in Decreto edixerat. Etenim Sess. 25. EUGENIUM IV. sic Græcos allocutum constat: *Primo dico, omnes conqueri de separatione Matrimonii, idque correctione indiget*. Tum post pacificum Græcorum discessum Eugenius in Decr. (Labb. t. 13. p. 539. B.) sic enunciavit: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contractum perpetuum sit*. Vixit autem Cajetanus ferme integro post seculo, quippe anno 1534. demortuus.

Catharinus L. 5. Annotat. cont. Cajetan. et Opusc. de Matrim. q. ult. ex eadem causa quidem solvi posse matrimonium autumat, quod nec ex Evangelio, nec Apostolo possit colligi, non licere in causa fornicationis aliud inire Matrimonium; cum tamen ecclesiasticis sanctionibus vetitum esset, ad separationem ejusmodi necesse esse, Ecclesiæ accedit auctoritas. Quod Catharini dictum magis solubilitati matrimonii favere, quam illud Cajetani, forte nonnemini videbitur, cum Catharinus ipsi etiam Tridentinæ Synodo interfuerit. At sciendum, interfuisse quidem eumdem huic Concilio, sed non supervixisse sessioni 24. in cuius can. 7. dogma de insolubilitate matrimonii definitum fuit.

Launoii demum opinio Tr. de Reg. in Matrim. potest. his capitibus continetur: 1^o. Constantem fuisse in Ecclesia traditionem ad usque Synodi Tridentinæ tempora, solvi posse adulterii causa vinculum matrimonii. 2^o. Quæstionem de solubilitate, vel insolubilitate conjugalis vinculi ex adulterii causa, ac canonem a Tridentino hac de re conditum non dogma et doctrinam, sed meram disciplinam complecti. Imo 3^o. viguisse olim inter Christianos morem dissolvendi matrimonium ex bona gratia, h. e. mutuo conjugum consensu ad usque Justiniani tempora, qui primus, ne porro fieret, id lege cavisset. Quid de hac Launoii mente sentiendum, ex probationibus sequentis conclus. palam fiet.

393. *Dico.* Dogma catholicum est atque orthodoxa veritas, et ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagata Ecclesiæ

traditio, excepta morte, nulla ex causa, nequidem fornicationis solvi posse matrimonii inter fideles consummati vinculum.

Prob. quoad singula membra. I. Ex SCRIPTURA SACRA. Marc. 10. v. 11. generaliter et absolute sine ulla limitatione docet Christus : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nups'erit, mœchatur.* Et similiter Luc. 16. v. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur.* *Et qui dimissam a viro dicit, mœchatur.* Sic et Apostolus 1. Cor. 7. sine exceptione jubet uxorem dimissam manere innuptam : *iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit (ex justa causa, ut commissi a viro adulterii, ob quod licita est discessio a thoro eaque perpetua) manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Prob. II. Ex CONCILIIS GENERALIBUS. Florentino et Tridentino ; prioris quidem verba paulo ante recitavimus n. præced. Alterum vero, postquam cap. unic. Sess. 24. dixisset : *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit : hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea... et erunt duo in carne una;* can. 4. Sess. ejusd. anathema infilit iis, qui propter haeresin ; aut, quod Lutherus cit. docuerat, propter molestam cohabitationem, absentiam a conjugi dissolvi posse matrimonium dixerint. Ac demum can. 7. punctum præcipue controversum, an ex causa fornicationis solvi possit matrimonii consummati vinculum, tangens, rem ita definit : *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, et docet, iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjugi vivente aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit; et eam, quæ dimisso adultero alii nups'erit; anathema sit.*

Respondet Launoio cit. can 7. non dogma et doctrinam proferri, sed disciplinam induci. Sed contra est 1^o. quod verba canonis singula non nisi de doctrina intelligi possint; dicitur enim 1. *Si quis dixerit Ecclesiam errare:* atqui error non disciplinæ opponitur, sed dogmati et veritati. 2. *Cum docuit et docet;* ergo hic doctrina profertur, sive dogma catholicum. 3. *Juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam;* ergo esse vere doctrinam, negari non potest; latum enim discrimen inter doctrinam, et meram disciplinam est, quod ignorasse Tridentinos Patres, non nisi summa temeritate dici potest; sique non ignoraverint, ad illud respicere vel maxime eos oportuit; maleque rem mere disciplinæ, sub doctrinæ nomine protulissent, cum doctrinæ saltem error, contra discipline solum abusus opponatur; si quis aliter sentiret, iuxta verba canonis in sensu obvio, reus erroris convinceretur, qui tantum abusus argui posset. 2^o. Quia hoc canone Lutherani maxime et Calviniste feriuntur anathemate; ergo errasse censendi sunt contra doctrinam; igitur canon non disciplinam, sed doctrinam complectitur.

Prob. III. Ex traditione PATRUM. Nam seculo II. ATHENAGORAS in Apol. pro Christian. (inter opera Justin. p. 37. B.) secundum, inquit, absolute *conjugium, scilicet vivente altero conjugi contractum, ut probant sequen-*

tia, illustre est adulterium : *quicumque enim, inquit (Christus), uxorem suam dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur.*

Seculo III. CLEMENS ALEXANDR. L. 2. Strom. in fine (opp. p. 424. C.) *Quod... Scriptura... nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constitutit : non dimittes uxorem præterquam ob fornicationem. Adulterium autem existimat conjungi Matrimonio, vivo altero ex separatis;* ubi dum dicit : ob solam fornicationem posse dimitti adulterum, de dimissione quoad thorum intelligi debet ob sequentia : *adulterium autem, etc.*

Seculo IV. quid hac in re crediderint Majores nostri, docet S. HIERONYMUS epist. ad Oceanum, describens pœnitentiam publicam, quam Romæ egit S. Fabiola, eo quod, ut permissum putabatur humanis legibus, dimisso a se viro adultero nupsisset alteri. In epist. ad Amandum 55. (al. 147.) idem dogma his demonstrat : *qui dimissam duxerit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit.*

Nec dicat quis cum Launoio, credidisse Hieronymum, in nubendi jure inæqualem esse viro mulierem, ac licere viro dimissa juste uxore adultera, cum altera inire matrimonium, sed non licere idem mulieri dimisso viro adultero. Nam 1^o. nusquam Hieronymus vel verbo inæqualitatem istam, de qua Launoius, asseruit. 2^o. Imo contrarium docet epist. 30. ad Oceanum de morte Fabiolæ (al. epist. 77.) *quidquid viris jubetur, inquiens, consequenter redundat in feminas; neque enim adultera dimittenda est, et mœchus tenendus.* Ac in c. 19. Matth. et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocentem, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret; *sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat.*

Seculo V. S. AUG. dogma catholicum clarissime expressit L. 1. de adulterio. conjug. c. 9. *Quemadmodum igitur si dixerimus, quicumque mulierem a marito præter causam fornicationis dimissam duxerit, mœchatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus; sed utrosque mœchos esse minime dubitamus... ita eum qui præter causam fornicationis uxorem dimiserit, et aliam duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit, et alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus; ambos enim, licet alterum altero gravius, mœchos esse cognoscimus.* Et L. de Bono conjugali c. 5. semel initum connubium in civitate Dei nostri, Ecclesia, nullo modo potest, nisi alicujus eorum morte dissolvi. Unde quod Augustino aliquando perplexum et obscurum hac in re visum L. de Fid. et Oper. c. 19. et implicatissimam questionem vocat alias, clare tamen loc. cit. expressit. Addi hic meretur totius Ecclesiæ Africanae testimonium in altera Milevitana Synodo anno 416. canone 17. (Labb. t. 2. p. 1541. E.)

Seculi VI. testis est ven. BEDA L. 2. in. c. 10. Marc. Seculi VII. Synodus Suessionensis celebrata anno 745. can. 9. (Labb. t. 6. p. 1554. B.) Seculi VIII. Parisina VI. anno 829. L. 3. c. 2. (Labb. t. 7. p. 1636. E.) et Nannetensis anno 893. iuxta alios 900. cap. 12. (Labb. t. 9. p. 471. D.) Seculi IX. Bituriensis anno 1031. can. 16. (Labb. t. 9. p. 867. B.) Plures Synodos aliarum orbis partium et Ecclesiarum, Romanæ, Germanicæ, Hispanicæ, pluraque pro quolibet seculo SS. Patrum, tum etiam summorum Pontificum testimonia

usque fere ad Florentinæ Synodi tempora videri possunt apud Bellarm., Tournel., aliosque hic, quos, ne æquo prolixiores simus, consulto prætermittimus.

*Ratio autem a priori omnimodæ indissolubilitatis matrimonii fidelium legitimi et consummati præcise est institutio Christi, qui per matrimonium contractum inter baptizatos et consummatum significari voluit sui per incarnationem cum Ecclesia conjunctionem, quæ omnino indissolubilis est; nunquam enim Verbum dimittet humanitatem, quam assumpsit. Ita Conc. Florentin. in Decr. Tertium, bonum Matrimonii est, *indivisibilitas Matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.**

394. *Obj. I.* Christus Matth. 5. et 19. interrogatus a Phariseis, *an liceret homini dimittere uxorem quacumque ex causa?* Respondit: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur;* ergo qui dimiserit uxorem ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur. *Prob. Cons.* Valet enim argumentatio a contrario, qualis est illa: et *Conf. a pari.* Bona est hæc argumentatio a contrario: *quicumque peccaverit, nisi pœnitentiam egerit, peribit;* ergo si pœnitentiam egerit, non peribit; ergo etiam subsistet illa prior: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur;* ergo qui dimiserit ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur.

R. N. Cons. Hæc enim exceptio: *nisi ob fornicationem,* tantum respicit membrum primum propositionis, *quicumque dimiserit,* ut sensus sit: *quicumque dimiserit uxorem quoad thorum perpetuo,* quod non licet nisi ob fornicationem, peccat sive mœchatur, scilicet mœchia aliena, ut dicitur Matth. 5. *facit eam mœhari,* quia dimissæ præbet occasionem fornicandi, ut adeo fornicatio uxoris imputetur viro, eo quod sine justa causa dimiserit. Si vero et ipse *aliam duxerit,* quacumque ex causa, etiam mœchatur, mœchia propria, ut dicitur Matth. 5. et 19. Non autem exceptio, *nisi ob fornicationem,* afficit membrum sequens, *et aliam duxerit,* quasi licitum esset aliam ducere interveniente fornicatione vel adulterio. Citäta autem verba intelligi debere dicto sensu, manifestum est ex Evangelistis aliis cit. qui Christi sententiam absolute, et sine ea exceptione referunt. Item Apostolo, et Patribus ac Conciliis cit. Unde

Ad prob. R. N. Hanc esse argumentationem a contrario; ut enim propositiō sit vere contraria, debet esse de eodem, sub eadem ratione; sed talis non est propositiō illata in consequente; propositiō enim Christi duobus constat membris; dictam vero exceptionem referri debere ad membrum primum, *quicumque dimiserit,* non vero ad subsequens, *aliam duxerit,* constat ex Evangelistis, aliis absolute dicentibus, reum esse adulterii, quicunque uxore dimissa aliam duxerit. Item Apostolo et aliis probationibus. E contra ab adversariis dicta exceptio supponitur, et quidem gratis ac falso, æque pertinere ad utrumque membrum, quasi nec liceret dimittere, nec aliam ducere nisi de causa fornicationis, ex hac vero liceret utrumque. Hinc

Ad Conf. R. Disparitas est. Prima enim propositiō, *quicumque peccaverit,* etc. unius tantum membra est, et exceptio non nisi ad unum referri potest, scilicet pœnitentiam, vel negationem ejus; proinde illæ propositiones

sunt de eodem sub eadem ratione; igitur vere contraria æque ac hæc: *qui pœnitentiam egerit, non peribit;* *qui pœnitentiam non egerit, peribit.* E contra propositio Christi bimembris est juxta sensum datum, et similis huic: *quicumque jejunium non servaverit nisi ob dispensationem, et se inebriat, peccat;* ac sicut in hac exceptio: *nisi ob dispensationem,* non respicit membrum secundum, et se inebriat, sed unice primum, *quicumque jejunium non servarit;* ita in propositione Christi.

395. *Inst.* Si exceptio, *nisi ob fornicationem,* referri debeat ad membrum primum duntaxat, *quicumque dimiserit,* non etiam ad alterum, *et aliam duxerit,* ita ut fornicatio sit causa sola dimittendi quoad thorum, non vero quoad vinculum; ergo responsio Christi non fuisse apposita interrogationi Judæorum. *Prob. seq.* Hi enim interrogabant de dimissione quoad vinculum; quia agebatur de libello repudii, quo etiam vinculum solvatur; et dimissio quoad thorum solum erat iis incognita, saltem inuisita.

R. N. seq. Maj. Licet enim ea Christi verba, *quicumque dimiserit,* etc. accipiantur solum de dimissione quoad thorum, adhuc tamen responsio apposita fuit Judæorum quæsito; interrogabant enim illi de dimissione perfecta et quacumque de causa; perfecta vero dimissio apud Judæos continebat duo: separationem quoad thorum, et quoad vinculum; quæ Christus caute sua in responsione distinxit, tametsi in interrogatione non distinxissent Judæi: primum concessit, sed ex sola fornicationis causa; denegavit alterum, revocans licentiam datam a Moyse, ac declarat adulterum, qui dimissa uxore aliam duceret.

396. *Inst. 2.* Saltem, si memorata exceptio tantum respiceret hæc antecedentia, *quicumque dimiserit,* intelligendo quoad thorum; ergo sola fornicatio esset causa dimittendi quoad thorum; sed falsum hoc, cum plures aliae cause sint dimittendi et separandi quoad thorum.

R. D. seq. Ergo sola fornicatio esset causa dimittendi *absolute et perpetuo* quoad thorum. *C.* dimittendi *quomodocumque N.* Christus merito solam fornicationem (sub qua tamen simul veniunt graviora peccata in eodem genere, per quæ fit divisio carnis, ut sunt bestialitas et sodomia completa) assignavit ut causam; eo quod illa tribuat jus parti innocentí partem adulteram perpetuo et absolute, quæ est dimissio proprie et antonomastice talis, excludendi a thoro, cohabitatione, ac jure matrimoniali, ita ut emendatam licet ac reconciliari volentem adhuc ex justitia repellere possit. Secus est in aliis causis, que vel dimissionem quoad thorum tantum, vel simul quoad tectum ac cohabitationem, ad tempus solum conjugibus separationem permittunt.

397. *Obj. II.* Ex SS. Patribus cum Launoio et aliis: 4º. JUSTINUS martyr qui altero Ecclesiæ seculo floruit, refert in Apol. priore, quod femina quæpiam, quæ virum male moratum diu sustinuerat emendationis spe, cum deteriorem esse factum intellexisset, missò libello repudii ab eo sejuncta sit. Quod factum, inquit Laun., cum non reprehenderit JUSTINUS, censuit fuisse solutum matrimonium.